

nis, fitque, quando per inflexionem plures in eandem coïncidunt, quæ possunt esse vel sub eodem genere vocum, vel sub diversò, istaque inflexio vel unius duntaxat, vel simul ambarum. Exempla addimus. *Tela* est nominativus singularis fæmininus, & nominativus, accusativus, & vocativus pluralis neutrius generis à *Telum*: *Avis*, nominativus singularis, & dativus ac ablativus pluralis ab *avis*: *Turba* nomen, & secunda imperativi à *Turbare*: *amor* & *canor* nomina, & primæ præsentis indicativi Passivi, ab *amo* & *cano*: *Is* pronomen, & secunda præsentis indicativi ab *eo*: *minime*, *maxime*, *plane*, vocativi, à *minus*, *maximus*, *planus*, & adverbia negandi & affirmandi: *Imo*, adverbium, & ablativus ab *imus*. *Circum* præpositio, & accusativus à *circus*: *Adversum*, & *Secundum*, præpositiones, & neutrum genus ab *adversus* & *secundus*: *Quoque* conjunctio, & ablativus à *quique*: *Verum* & *vero*, conjunctiones & neutrum ac ablativus à *verus*: *Porro* & *modo* conjunctiones & ablativi à *porrum*, & *modus*. *Eo*, *quo*, *aliquo*, *quocunque*, *hæc*, *ea*, *qua*, Adverbia, & ablativi ab *is*, *qui*, *aliquis*, *quicunque*, *hæc*, *ea*, & *quæ*: *Uti*, Adverbium, & infinitivus ab *utor*: *Age*, *agite*, Adverbia hortandi, & secundæ personæ, singularis & pluralis imperativi ab *ago*: *Intra* & *sine* præpositiones, & secundæ imperativi ab *intro*: & *sino*. *Cis* præpositio, & secunda præsentis indicativi à *cio*. *Fili* genitivus à *filum*, & vocativus à *filius*: *Telis* dativus & ablativus pluralis à *tela* & *telum*: *Suum* genitivus pluralis à *fus*, & neutrum à *suus*. *Turbas* accusativus pluralis à *turba*, & secunda præsentis à *turbo*: *Ducis*, *Legis* & *Regis* genitivi singulares à *Dux*, *Lex* & *Rex*, & secundæ præsentis indicativi à *duco*, *lego*, & *rego*. *Vestrum* & *Nostrum* genitivi plurales à *tu* & *ego*, & neutra à *vester* & *noster*: *meas*, & *eas* accusativi plurales à *mea* & *ea*, secundæ præsentis à *meo* & *eo*. *Constiti* præteritum, à *consto* & *consisto*, *crevi* à *cerno* & *cresco*, *pependi* à *pendeo*, & *pendo*: *Egero*, *ris*, *rit*, *rimus*, *runt* præsens indicativi, cujus infinitivus est *egerere*, & futurum cum præteritò subjunctivi ab *ago*. Hæcque sufficiant, sexcenta enim liceret ejusmodi proferre, nisi & Lectori & nobis tædium crearetur. Finem igitur eorum facimus his versiculis, unum alterumque exemplum exhibentibus,

*Quid facies, facies Veneris cum veneris ante?*

*Ne sedeas, sed eas, ne pereas per eas.*

Et illis,

*Si quâ sede sedes, si sit tibi commoda sedes,*

*Istâ sede sede, nec ab istâ sede recede.*

19. *A Consiliò Homonyma* vox est, quæ diversis rebus significandis certâ ratione attribuitur. Hæc autem ratio vel in nobis est, vel in rebus ipsis. *In nobis* est, quando certâ de causâ liberis nostris nomen imponimus alterius personæ, vel illustris. vel nobis charæ. Hanc Homonymiæ speciem etiam ag-

C

noscit